



B. 448.

In hoc volumine 24. programatum de Norimbergensibus qui-
busdamq. de variis inclusis academius rebusque tam sacris,
quam profanis, bene meritis, decet program. 1. 2. *

4.

LECTOREM BENEVOLVM
AD
ORATIONEM
DE
MAGNIS MVNDI VICISSITVDINIBVS
AVDIENDAM
HUMANISSIME INVITAT
ATQVE
HAC PRAEFATIONE
NORIMBERGENSES QVOSDAM
DE
INCLVTA ACADEMIA IENENSI
bene meritos,
RECENSERE INSTITVIT
CHRISTIANVS GOTLIB. SCHVVARZIVS P. P.

LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI,

(*N. VI.*)

CHRISTIANUS GOTTFRI. SCHAAVERIUS R.P.
LITERIS MONUM. DABITIS MULIERI
ROBINENSIS INSTITUTI
INCIVITATI ACADOMIA HENNIKI
NORIMBERGENSIS GOSPELIA
MAGNIS MUNDI VICTORI ADINIBVS
KÖLN. FRIED. UNIVERS.
ZU HALLE



Reuioribus quidem commentationibus,
sed non sine animi iucunditate, recolere
iam antehac institui memoriam virorum
quorundam doctrina famaque insignium,
qui Norimbergae nati publicos eruditio-
rum coetus, quos ueteri uocabulo plerumque Academias
uocamus, sua opera et auctoritate docendique labore orna-
runt. Quemadmodum uero eos iam breuiter strictimque
recensui, quorum in celeberrimas Saxonum Academias,
Lipsiensem pariter atque VVittembergensem, praeclariora
extiterunt merita; ita eodem consilio neque adhuc Saxoniae
fines egredi libet. Quis enim nescit, quantum quamque
feliciter ibi etiam ad Salam floreat INCLYTA ACADEMIA IENENSIS;
quae, quamuis de nimis anno recuperatae salutis humanae
millesimo quingentesimo quinquagesimo octauo, die **xix**
Martii, solemniissimo ritu fuerit inaugurata: tam excellenti-
bus tamen viris abhinc semper floruit, et tot eruditorum
colonias in omnes terrarum partes iam emisit, ut etiam
cum antiquioribus in gloriae certamen recte uenire possit.
Illa adeo cum in suis ornamentis aliquandiu, praeter alios
Norimbergenses, etiam numerauerit NICOLAVM SELNEC-
CERVVM, Theologum de emendata religione optime meri-
tum, et coelestis ueritatis vindicem dexterium; de eius
uita hoc quidem loco paullo plura, quam ab initio insti-
tueram, afferenda duxi. Natus enim ille est Hersbrucci, siue
Heriponte, oppido peruersusto, et illustris Reipublicae No-
rimbergensis municipio, cuius oppidi res et fata, maioris adhuc
antiquitatis argumento, iam saeculo decimo commemo-
rantur. Vbi Norimbergenses de illustri Lipsiensium Aca-
demia bene meritos recensui, Selneccerum dixi natum esse
anno supra millesimum et quingentesimum trigesimo secun-
do, die **vi Decembris**, hora noctis prima. Qua in re securus
sum scriptores haud poenitendae alias auctoritatis, Ian. Ia-

Nicolaus
Selneccerus.

co**b**. Boissardum, *P. III. Chalcograph. Icon. 41*, Melchiorem Adamum, in *vitis Theologorum*, Paullum Freherum, in *theatro virorum eruditorum*, Georg. Matthiam Koenigium, in *Bibliotheca uniuersali*; quibus, praeter alios, addere licet Paullum Eberum, in *Calendario Ecclesiastico*, et Augustinum Brunnium, in *Libello synoptico theologico praeceptuorum S. Theol. Doctorum*. Verum, alios auctores in designando anno natali Selnecceri omnino dissentire, postea deprehendi. Neque ea res ita liquido expediri posse uidetur, ut nihil prorsus dubii relinquatur, postquam Ecclesiae Hersbruccensis annales atque libri, in quos infantes sacris Christianorum iniciati referuntur, ea parte deficiunt, et demum ab anno c*l*o *I*o xxxiii ordiuntur, adeoque ex ea familia tantum Dorotheam, Nicolai Selnecceri sororem, anno c*l*o *I*o xxxiv, d. 15 Iun. natam, adhuc commemorant. Id quod ex Viri Perquam Reverendi, *Dn. Caroli Seyfridi*, Hersbruccensium Sacerdotis primarii, optime meriti, litteris amantissime ad me per scriptis modo cognoui. Interim tamen nihil similius est ueri, quam Nicolaum anno c*l*o *I*o xxx, eo nempe anno, qui propter Formulae Augustanae Confessionis solemniter exhibtam maxime commemorabilis est, huius uitae usura pri mum frui coepisse. Id enim tempus, quod iam monuit Adrianus Beier, in *Syllabo Rectorum et Professorum Ienerium*, p. 463, non solum indicauit tum *programma* ab Academia Lipsiensi supremis Selnecceri honoribus scriptum, tum concio funebris in eiusdem exequiis a D. Georgio Mylio habita; sed etiam monumentum Selnecceri Manibus dicatum, quod adhuc Lipsiae in aede Thomana extat, et cuius inscriptio nem infra exhibeo. Imo ei mihi est icon Selnecceri aere exscripta, cui distichon sine dubio ab ipso Viro beatissimo conscriptum, et haec alia uerba subiecta leguntur: *Quid sum? nil. Quis sum? nullus. Sed Gratia Christi, Quod sum, quod uiuo, quodque labore, facit.* *Nicolaus Selneccerus*, aet. 62. *Dominicus Custodis Antwerp. ad uiuum delineauit, Augustae Vindelicor. Mensē Decembri, A. 1591.* Ex quibus uerbis.

uerbis haud aegre coniicias, Selneccerum, siquidem is eo tempore modo ingressis fuit annum aetatis sexagesimum secundum, anno 1530 in hanc lucem exiisse. Quem ipsum annum etiam annotauit Io. Aldenberger, Sacerdos Priestatensis, in *Calendario Franconico manu scripto*; uti pro singulari sua benevolentia, rerumque Patriae recondita peritia, Vir Generosissimus, *Dn. Christophorus Iacobus de Imhof*, mihi indicauit. Sed dimitto eam rem, in qua non adeo multum momenti positum esse arbitror; ac potius de primis uitae studiorumque rationibus, quas a teneris annis initit Selneccerus, non nihil iam affero. Dici enim non potest, quantum in omni uitae genere intersit, in quos quisque doctrinae virtutisque duces primum inciderit, et ad quorum familiaritatem consuetudinemque se maxime applicarit. Haud immerito igitur in praecipua parte felicitatis, quae diuinitus sibi obtigerit, collocavit, et cumprimis in Praefatione, quam suo in *Genesin* commentario praemisit, ad uitae suae testi nonium laudemque pertinere censuit Vir beatissimus, quod inde usque a teneris non cum hominibus futilibus ac noua et absurda praecipientibus uersatus fuerit; sed Praeceptoribus a pueri usus sit viris modestis, placidis, humanis, eruditis, piis, grauibus et bonis. Quorum prouentu ac copia si quando alias, certe ea aetate, cum ex diuina benignitate abundaret Norimberga; Nicolaus in hac Patrii soli Metropolie, ut ipse uocat, traditus primum est *Culmanno*, viro formandaie iuuentutis longe peritiori, quam ad obeundas Ecclesiastici munieris partes apto. Huic enim prima christianaee religionis capita, Grammaticesque rudimenta tradenti, et Comœdias Terentii dexterime interpretanti, assiduus aderat Selneccerus; neque minus se adiungebat ad *Rauschacherum*, virum optimum et doctissimum, cum is et pietate imbueret puerum scholasticam sibi concreditam, et Graecas doceret litteras, Hesiodique poema cum Virgilii Georgicis utiliter conferret. Sed et haud exiguae in doctrina progressiones acceptas referebat *Nicolao Agricolae*, qui, cum in Hieronymi

VWolfii locum successisset, tunc Linaci librum de emenda-
ta Latini sermonis structura explanabat, ac rationalis na-
turalisque Philosophiae scita recensebat, et ex Melanchthonis
Locis Theologicis praecipua mysteriorum capita il-
lustrabat, discipulosque signatim ita instituebat, ut mo-
do in uersibus scribendis feliciter exercerentur, modo Iso-
cratis Orationes facerent Latinas, modo Epistolas Cicero-
nis in linguam transferrent Graecam; neque solum, inito
quodam ingeniorum certamine, crebrius ea, quae didice-
rant, repeterent; sed etiam, moderante hoc dexterimo Prae-
ceptore, quaedam doctrinae capita distincte claraque uoce
praelegerent, et, uelut magistrorum officio functuri, alis
ipsi explicarent. Sed eodem tempore Norimbergae erant
et alii uiri eruditione clari, qui Demosthenis et Ciceronis
Orationes magno studio enodabant, qui singulari accurati-
one tradebant Mathemata, et Cleomedem Euclidemque in-
terpretabantur, aliaque illius generis utilia argumenta egre-
gio cum successu profitebantur. Ut enim nunc taceam *Io.*
Schonerum, *Io. Kezmannum*, *Georgium Sellam*, *Sebaldum Heide-*
nium, aliasque, quorum ope consilioque in studiis usus est
Nicolaus; is iam tum maxime suspexit ueneratusque est in-
gens et immortale orbis eruditu nomen, *Ioachimum Camera-*
rium; qui illo tempore Norimbergae *Actus Apostolorum* et
grauissimum Lucani poema pro incredibili ingenii sui do-
ctrinaeque copia luculentissime explicauit. Sed commo-
dum accidit, ut tunc Norimberga non minus Theologis
eximiis, quam Litteratoribus clarissimis, floreret. Viuebat
enim ea aetate, et pro repurgatis sacris acriter propugnabat
Venceslaus Linckius, Theologus dexterimus, charissimus
que Lutheru, uerae religionis instauratori, et Selneccero
Parenti familiarissimus. Haud secius laudabilem praecla-
ramque operam rei sacrae apud Norimbergenses tunc naua-
bant *Vitus Theodoricus*, *Thomas Venatorius*, *Hieronymus Besold-*
dus, *Io. Fabritius*, et, cum adhuc rectius de doctrinae coelestis
capitibus sentiret, *Andreas Osiander*; quorum singulorum lau-
des

des et in rem Christianam merita recensere, ab hoc loco fere alienum foret. Hos igitur omnes iam tum colebat, hos se-
tabatur, et, siue e suggesto sacro dicerent, siue scholas
aperirent theologicas, mirifica assiduitate descendique ardo-
re audiebat Nicolaus. Inter quae praeclera doctrinae praeifi-
dia nihilominus nonnulla incidebant, quae tam egregio in-
genio, pulchrisque conatibus, remoram inieatura, aut pror-
sus exitium minatura uidebantur. Primum enim per o-
mnem fere uitam cum variis morbis conflictatus est Vir o-
ptimus: in corpore enim imbecilli, neque adeo magnae
staturae, nunquam fere satis firma commodaque ualeudine
utebatur; unde et in proiecta iam aetate a *Christophoro Herde-*
siano, qui nonnunquam sub *Germani Beieri* nomine latuit, na-
ni et paruuli doctoris conuicio, puerili certe contumeliae
genere, aliquando exagitabatur. Huc accedebat grauissi-
mum uitae periculum, cum annos circiter quatuordecim
natus ex sagittaristicupide, quae laeuam imiuentris eius par-
tem ita percusserat, ut e dextra parte prominuerit, atque
tamdiu, donec extrahi posset, ibi constiterit, magnum et
uehemens uulnus accepisset. Neque hoc loco reticendum
est, haud procul absuisse, quin et alia ratione a studiorum
curso reuocatus fuerit Selneccerus. Hic enim, cum a pri-
ma aetate non minus in musica, quam ceteris artibus inge-
nuis, bene feliciterque uersatus fuisset, adeoque iucunde ac
scienter canere didicisset; non solum a viris quibusdam
summi nominis identidem solicitatus est, ut huic arti unice
se daret, atque in choro musico Augustissimi Imperatoris,
CAROLI V., operam praestaret; sed aliquando etiam eo
consilio requirebatur ab ipso diuino **FERDINANDO**, Roma-
norum Rege, cuius ille gratiam tunc maxime in se conuer-
terat puer, cum inter uespertina eius sacra eo instrumento
musico, quod follibus cietur, haud inscite cecinisset. Ve-
rum, diuina Prouidentia, quae Selnecceri indolem praestan-
tiori Christiani coetus utilitati destinarat, adeo sapienter eius
fata moderabatur, ut illa tandem pericula atque auocamen-
ta

ta feliciter superarit. Maioris adeo doctrinae ingeniique cul-
tus capessendi caussa de uoluntate Parentum suorum , anno
cl̄o Ic xlviii, auspicato se contulit VVittembergam , ubi tunc
inuenit Melanchthonem , Pomeranum , Forsterum , Milichiu-
m , Marcellum , Reinholdum , Maorem , Eberum , Frosch-
elium , Peucerum , Vinshemium Seniorem , Sebastianum Theodo-
ricum , Compatrem suum , Esromum , atque alios ; quibus
auctoribus ducibusque idonea diuinae humanaeque sapien-
tiae subsidia studiofissime comparauit , quoruimque fauorem
ac beneuolentiam adeo sibi deuinxit , ut deinceps DEO im-
mortali non sine singulari pietatis sensu saepius gratias age-
ret pro felicitate illa et copia sibi facta , viros tam eximios
non audiendi tantum , sed etiam singulari quadam et pater-
na erga se propensione affectos sibi conciliandi . Nihil uero
prius sanctiusque habuit , quam quod *Philippum Melanchtho-*
nem Praeceptorem habere , et audire , et fere quotidie con-
uenire , alloqui et consulere , diuino sibi beneficio contige-
rit . Atque adeo ingenue fassus est , uti legimus in *Arcanis*
Bibliothecae Thomanae Lipsiensis , p. 54 , se ex eorum numero
esse , qui intimius Philippum nouerint audierintque ; et in
ipsius cubiculo cum Ioachimo Camerario Secundo aliquo-
ties somnum quoque cepisse , et multa ac magna beneficia ,
ut a Patre Filius , accepisse , seque virum ipso sanctiorem nec
uidisse , nec nouisse . Promerita uero industriae Academicae
praemia capiebat , cum anno cl̄o Ic lvi , d. 31 Iul. a Decano ,
Caspero Peucero , philosophicis honoribus ornaretur . Hac
laurea , quam rite adeptus erat , excitabatur , ut ipse iam e-
gregias doctrinae opes , quas hucusque collegerat , aliis ex-
ponere institueret , ac , uti ipse in Epistola ad Lambertum
Danaeum de *Exegesi scripta refert* , per quadriennium ultra
ducentos discipulos priuatos semper haberet : cuius rei te-
stitionia etiam in scriptis VVittembergensium publice pro-
positis adhuc extant . Postquam itaque annos fere nouem
VVittembergae transegisset , et tum publice priuatimque do-
cendo , cum sacris concessionibus habendis , experimentum
uirium

uirium suarum fecisset, a Principe Electore Saxoniac, Diuo
AVGVSTO, anno clo Io LVII, euocabatur Dresenam, par-
tim ut *Inspectoris* titulo mōres ac studia adolescentum, qui
in Choro Musico Augusti educari consueuerant, moderare-
tur; partim ut in Aula cum Christiano Sagittario et Ambro-
sio Clauigero conciones sacras haberet, ac denique etiam
Principem iuuentutis, *Alexandrum*, Augusti filium, scientiis
rebusque optimis instituendum susciperet. Quibus partibus
cum annos octo bene recteque perfunctus esset, et morbis
crebrioribus sese tentari sentiret; munere habendi concio-
nes, quae firmiores corporis animique vires requirebant,
sua sponte, ut ipse ait, se abdicavit; ubi, cum coetu il-
li sacro uale diceret, pro concione, Davidis, diuini Va-
tis carmen CXL interpretatus, non solum uaria Princi-
palis gratiae argumenta aliorumque piorum hominum sin-
gularem in se benevolentiam grata mente publice collaudauit,
sed etiam suam in animaduertendis notandisque aeuī uitiis
~~mappynis~~ grauiter excusauit. Tunc uero suasu et hortatu a-
micoruū quorundam fere in animo habuerat, sese cum fa-
milia Norimbergam conferre, ubi educatus esset, et con-
sanguineos Patronosque haberet multos magnaue aucto-
ritatis, quorum in numero principem tenuit locum Senator
Patriae immortalibus meritis illustris, HIERONYMVS BAVM-
GARTNERVS, cuius insignis erga se fauorem et multa be-
neficia haud reticuit Selneccerus. Sed cum in templis tam
spatiosis se minus idoneum existimaret concionibus haben-
dis, et antehac ea de causa ueniam secedendi petiisset, impe-
transletque; toto uelut animo eo incubuit, ut Academicæ
iuuentuti docendæ suam locaret operam. Anno igitur
clo Io LXV, d. xxvi Martii, annitente in primis D. Io. Stoess-
selio, contulit se Ienam, ut ibi Professoris Theologi munus
adiret. Quam ipse spartam aliquandiu egregie ornauit, et,
publicis priuatisque scholis assidue institutis, scriptisque piis
ac eruditis in lucem emissis, perquam utilem illi Academicæ
operam impendit, usque dum turbae Gothanae a Guil.
Grumbachio excitatae in ea tempora incidenter. Hae enim
ut

uti illis regionibus haud exigua attulerunt mala; ita et Ienensis Academie res non nihil afflixisse uidentur. Sribit enim ipse Selneccerus, in Epistola ad Lamb. Danaeum, se in Academia Ienensi S. Theologiae Professorem egisse ad triennium, ibidemque mansurum fuisse, nisi post tragediam Gothanam mutatio, quae facile auerti potuisset, in ea Academia incidisset. Quibus rebus Selneccerus inductus petuit, ut aut in suis sibi laboribus libere, et ea ratione, qua obiisset illos semper, progredi liceret; aut, hoc denegato, ut sibi facultas daretur alio abeundi, ubi utiliter posset inseruire reipubl. Christianae. Qua facultate impetrata, anno cl^o Io LXXIIII, d. xvi Augusti, recessit Lipsiam, ut in ea Academia, loco Victorini Strigelii, cui paullo ante, propter corrupta quaedam doctrinae capita, docendi munere interdictum fuerat, diuiniores litteras publice profiteretur. Sicut ergo gaudebat Selneccerus, se in illo coetu, praeter alios viros egregios, inuenisse D. Io. Pfeffingerum, qui res sacras praecipua auctoritate tunc curabat, et Ioachimum Camerarium, quo ante usus fuerat Praeceptore; ita nec ipse quicquam praetermittebat, quo fidem suam, doctrinam, et industriam, omnibus bonis approbaret. Paullo post, anno nempe cl^o Io LXX, d. xi Maii, VVittembergae summos in Theologia honores, una cum quinque aliis magni nominis Candidatis, rite consecutus est, postquam Decani munia obeunte D. Georgio Maiore, die v Maii, cum ceteris Candidatis, Disputationis solemnis loco, CXXX Propositiones summam praecipuorum capitum doctrinae Christianae complectentes, quae typis Io. Schyvertelii excusae seorsum extant, ad disquendum proposuisset. Quae disputatio cum deinceps ipsi aliquando propter quaedam suspectae doctrinae argumenta ab aduersariis exprobraretur; is cum alibi, tum in laudata epistola ad Danaeum, testatus est, nec suas fuisse illas theses, nec sibi quicquam de illis constitisse, priusquam editas uiderit, et tantum de illis, quae ad *Iustificationis Articulum* pertinerent, quasi ex abrupto disputasse; adhaec, cum inspexerit argumenta, statim cum Pastore et ceteris Theologis de illarum lubricitate et latente ueneno locutum esse.

Non

Non diu Lipsiae substiterat Selneccerus , cum eius meritorum fama latius sese diffunderet, eiusdemque opera ab aliis etiam , et nominatum a Serenissimo Principe , IVLIO , Duce Brunsvicensi ac Lunaeburgensi, efflagitaretur, ut et ibi vindicaret religionem a superstitionibus et inquinamentis humanis, ordinemque sacrorum diuinæ uoluntati conuenientem describeret, institueretque. Is , quamvis caussaret ualeitudinem incommodam, tandem tamen de clementissima uoluntate ac concessu Serenissimi Pr. Elektoris Saxonie ad petitionem saepius iteratam Ducis Brunsvicensis , hanc suam spartam Lipsiensem ad tempus certum relinquebat, eo quidem indultu, ut ad priorem locum ordinemque ipse redditus omnino pateret. VVolferbytum ergo cum anno clo Io LXX uenisset, ibi sub titulo *Concionatoris Aulici et Superintendentis Generalissimi*, res sacras incredibili fide ac uigilantia curauit, idque maxime cum Iacobo Andrea, celebri Theologo, operam dedit, ut, qui sacris *Augustanae Confessionis* sese addixerant, coniunctis animis idem et unum sentirent. Obruerer scribendi copia , si nunc quidem sigillatim exponere uellem, quam utiles Ecclesiae labores ibi praestiterit Selneccerus, quot Theologorum colloquiis interfuerit, aut quantas identidem sustinuerit controversias ? Quam historiae Ecclesiasticae partem qui excutere cupiunt, haud pauca, quae huc spectant, in V. C. Philippi Iulii Rehtmeyeri *Antiquitatibus Ecclesiasticis Urbis Brunswigae*, item et in I. G. Leuckfeldii *Antiquitatibus Gandersheimensibus*, inuenient. Venerat aliquando in suspicionem Nicolaus , quod de illius Ecclesiae institutionis et Corpore doctrinae publice receptae nonnihil immutare pararet, certa controversiarum declaratione sublata, Philippi Locos theologicos adsciturus. Sed Principis auctoritate interrogatus, rectius explicauit mentem suam, testatusque inter alia est, se Corpus doctrinae a Philippo conscriptum non eo loco habiturum, ut norma Ecclesiae esset; sed ut propter luculentum docendi ordinem priuatim non sine fructu legeretur. Ceterum, altero anno post, in ordinando moderandoque Gymnasio Gandersheimensi , quod tunus ex

singulari Principis munificentia condebatur, et ex quo haud ita diu post Helmstadiensis Academia surrexit, multum posuit industriae, certasque leges atque instituta conscripsit, quibus docentes pariter atque discentes regerentur. Quantumcunque uero ille se tenebat, ut ne in nouas laberetur controversias; haud tamen quorundam inferioris Saxoniae Theologorum suspicionem ita effugere potuit, quin crediderint, eum Caluini partibus clam fauere. Vnde cum anno clo Io LXXI denuo dissensiones litesque existerent, munere suo se abdicare cogitauit Selneccerus, eaque cauilla D. Timotheus Kirchnerus Iena iam accersitus fuit: at, post sopita disfida, Principis gratia ille diutius retentus, et cum adueniente Kirchnero conciliatus est, ita, ut Selneccerus iterum *Generalis Antistes et Superintendentis* in tractu Gandersheimensi et Alfeldensi constitueretur; Kirchnerus uero, coniuncta opera, in dioecesi VVolferbytana, Helmstadiensi, et Bockenheimensi, itidem *Generalis Superintendentis* auctoritate res sacras administraret. Postea et illustrissimus *Comes*, Iohannes, de Oldenburg et Delmenhorst, referente Chytraeo, in *Chron. Sax.* L. XXIII, Selnecceri operam maiorem in modum expetit, eo consilio, ut is etiam in suae ditionis Ecclesia religionem emendaret, ritusque sacros ad leges salutares redigeret: quo, quamvis aegre, anno clo Io LX XI II, d. xxi Maii, a Principe optimo dimissus est. Hic postquam multum in amplificanda propaganda religione uera elaborarat, rediit VVolferbytum; sed mox a Principe Electore Saxonie, *Augusto, gloriof. mem.* repetitus est. Anno igitur clo Io LXXIV reuertit Lipsiam, et solemni oratione Calendis Februariis habita, quasi postlimino suum inter Theologos Lipsienses locum occupauit. Qua de re ita ipse in Epistola ad Danaeum data scripsit: *In Ducatu Brunsvicensi per quadriennium inspectione Ecclesiarum fideliter et non sine periculo functus sum. Ex hoc Ducatu, cum nefariz homines, qui suppliciis affecti sunt, uiris bonis mirifice insidias struerent, mibiique insolenti periculum sine Ecclesiae fructu immineret; revocatus sum Lipsiam, in ipso feruore sacramentariae luis; ubi pro ingeniorum diversis et dissimilibus naturis exceptus sum, et de-*

nro

nuo factus de Electoris et sententia et sustentatione principalis Professor, et reliqua. Posthaec, anno cl^o Io LXXVI, d. iv Jun. Superintendentis, et Antistitis aedis Thomanae prouinciam suscepit, atque alia etiam munia ac beneficia, quae cum istis honoribus coniuncta esse solent, consecutus est. Non enim solum adiungebat Consiliariis Consistorii Ecclesiastici, quod Lipsiae est; sed etiam *Canonici in Episcopatu Miseneri* dignitatem capesset, et *Decani* nomine ter praefidebat Collegio Theologorum. Haud uacat licetque nunc per breuitatis studium ea omnia commemorare, quae ab illo tempore, egregio cum commodo rei sacrae, egerit Selneccerus. Illud tamen haud infimo loco in eius laudibus ponendum, quod non solum anno cl^o Io LXXXIII, Fiscum, unde Sacerdotum uiduae quaedam uitiae leuamenta capiunt, locupletauit, et in certum rededit ordinem; sed etiam Bibliothecae aedis Thomanae magna et luculenta attulit incrementa; dum, schedula suo collegarumque nomine per aedes quasque celebriores diuulgata, multorum hominum singularem liberalitatem studiumque augendae illius rei librariae felicissimo cum successu prouocauit. Quae adeo optima Selnecceri merita, in rete*cis Bibliothecae Thomanae Arcanis*, copiosius exposuit, debitisque laudibus inactauit Vir Summe Reuerendus, *Henricus Pippingsius*, hodie in Augusta Saxonum aula a consiliis Ecclesiasticis et concionibus sacris primariis. Sed, praeter uarias diuinioris coetus in illis regionibus, visitationes lustrationesque, quas publico iuslū obiit Selneccerus, multo illustrior illa eius opera fuit, quam cum aliis Theologis in confiendo prouehendoque insigni illo Ecclesiarum quarundam nostrorum *Libro Symbolico*, cui *Formulae Concordiae* nomen est, Diuī Avgvsti, Elect. Sax. auspiciis collocauit. Nimis longum foret, sigillatim hic recensere, quid in illo negotio praestiterit Selneccerus, et quot conuentibus Theologorum ea de causa affuerit. Illud ex ipso Leonharto Huttero, qui et longe plura, quae hoc spectant, commemorat, in *Libro de Concordia concorde*, p. 443, satis appareat, praeter reliquos Theologos, in ea causa hos trium viros, Iacobum Andream, Martinum Che-

mnitium , et Nicolaum Selneccerum , praecipuas ferē partes
tenuisse , et ceterorum sententias animaduersionesque maxi-
me in *Bergensi conuentu* , anno cl̄o Io LXXVII , mense Martio ,
ad examen reuocasse , diligentiusque inter se contulisse . Imo
et idem Selneccerus cum Chemnitio et Kirchnero deinceps ,
anno cl̄o Io LXXXI , Principum iussu , Erfordiae Thuringo-
rum , in concinnanda *Formulae Concordiae Apologia* , coniuncta
opera consilioque elaborauit . Quemadmodum uero a-
lias crebrioribus tunc dissensionibus coetus hominum piorum
uxabatur ; ita ea maxime ingruebant tempora , quibus ,
quod *Iacobus Thomasius* in *Oratione CHRISTIANO I. Elect.*
Sax. dicta ait , secretis et callidissimis quorundam hominum
machinationibus nihil proprius effectum erat , quam ut Cal-
uiniana religio plenis uelis in istas terras inueheretur . Adeo
horum doctrina atque potentia iam ibi inualuerat , ut et me-
liorum partium Theologi , publica auctoritate prohiberen-
tur , Calvinianorum , ut uocant , sententias nominatim con-
futare , errorumque redarguere . Stabat nihilominus fortis
intrepidusque pro asserenda coelesti ueritate Selneccerus , at-
que anno cl̄o Io LXXXIX , Consiliariis Principis Electoris Sa-
xoniae , Senatuque Lipsiensi , publico scripto quatuordecim
cauſas exponebat , ob quas neque ipſe , neque alii uerae re-
ligionis interpretes , inter tantas doctrinae corruptelas , pati
possent silentii necessitatem sibi imponi . Qua re quia fieri
uix poterat , quin acrius in se commoueret aduerſiorum
animos , euuenit , ut paullo post , ipsis feriis *Pentecostalibus* , a mu-
neribus publicis , quibus summa cum laude hucusque fun-
ctus erat , amoueretur . Haud frangebat ea contumelia Nico-
laum , sed confirmabat potius animum eius , vindicandae ue-
ritatis studiosissimum . Anno ergo cl̄o Io LXXXIX , d . xxiii
Octobr. nihil dubitauit solum uertere , postquam hos uersi-
culos in pariete Musei descriptos , tanquam pietatis con-
stantiaeque suae testes reliquerat : *Promtus ad exilium , si sic tibi ,*
Christe , uidetur ; Quantumvis morbis canitieque senex . Abiit
tunc Magdeburgum , ubi uelut exul aliquantis per uixit , etiam
ex illustris Reipublicae patriae liberalitate nonnullis subsidiis
suble-

subleuatus. Sed altero post anno, inde Hildesiam accersitus est, ut Antistitis, siue *Superintendentis* auctoritate, sacris praeesset. Interea uero temporis, cum ex singulari Numinis prouidentia magna rerum commutatio in Saxonia contigisset, anno clo 10 xcii ab Hildesiensibus repetitus, et tum ad recipienda priora munera, cum ad statum Ecclesiarum scholarumque in Saxonia recognoscendum corrigendum que solemniter reuocatus, se se in uiam dedit. Sed iam annis meritisque grauis, in itinere magna corporis infirmitate oppressus est; quae quidem ipsum non prorsus impedierat, quo minus d. xx Maii Lipsiam, quo summo animi contentor desiderio, tandem rediret; ita tamen exauferat eum, confecceratque, ut ante, quam posset suas partes denuo auspicari, ultima praesentisceret, et ab exitiis Theologis, Aegidio Hunnio, Martino Miro, et Georgio Mylio, qui tum aderant, confirmatus, Deoque commendatus, iam die xxiv Maii, hora matutina prima, animam redderet Numini supremo, placidissimeque mortalitatem finiret. Tertio die post honorificentissimis exequis condecoratus, temploque Thomano illatus est; ubi e regione sacrae cathedrae ossa eius molliter cubant, tumuloque aeneum monumentum impositum est, quod et integrum Viri beatissimi imaginem, et hanc epigraphen, refert: NICOLAVS SELNECCERVVS, S. THEOLOGIAE DOCTOR CLARISS. TESTAMENTI CHRISTI ASSERTOR CONSTANTISS. PIE OBDORMIENS ANNO AETAT. LXII IN CHRISTO. ANNO MDXCII MAII XXVI HIC SEPVLTVS REQVIESCIT. Nunquam non reuerenter habenda est tanti Theologi memoria, cuius pietas uirtusque tot illustribus testimoniis eluxit. Neque enim ille nimis timuit futura, quorum metu et expectatione suspendorunt excrucianturque multorum animi; sed probitate fese muniit rectaque conscientia, ac DEI immortalis uoluntati sancta obsequendi lege se suasque res permisit, ex diuinis oraculis hoc pietatis symbolo usus: IN MANIBVS TVIS SORTES MEAE. Magna polluit ui ingenii; cuius rei documenta habemus non tantum multa et luculenta carmina, quae certe haud inuita effinxit Minerua; sed et ingentem scriptorum copiam,

quorum

quorum nonaginta circiter emisit. At neque minus ualuit iudicio, cuius facultatem maxime in disceptationibus eruditis exeruit, ubi scite admodum et enucleate, neque aride tamen, sed aliquando copiose, disputauit, captiunculasque aduersariorum facile strenueque discussit. Minus lucri cupidum eum deprehendas, ut qui aliorum liberalitatem, potius earum rerum instituendarum ornandarumque gratia excitauerit, quae publice prodescent, et posteritati inferuiren, quam quae priuatim suis conducerent rationibus. Animo paullulum feruidiore esse uidebatur; sed quem magno studio temperabat, adeo, ut in nulla opinione tam acriter obstinateque perstaret, quin et corrigi se animo aequo ferret, et meliora edocitus sententiam haud aegre commutaret. Cui rei in primis argumento sunt ea, quae ad Philippi Melanchthonis placita attinent. Quae quamuis Selneccerus antea, et alias saepius, et praecipue in Praefatione, qua suum in *Genesin* commentarium, anno c^olo l^o lxix Lipsiae editum, ornarat, ad coelum usque laudibus extulisset; nihilominus tamen, ubi penitus inspexerat perpenderatque Philippi doctrinam, non nihil in ea desiderare coepit, ac postea, cum in primis ille ipse Liber, decimo anno post, iterum typis exscriberetur, publice ingenuaque id professus est, et culpam excusauit. Sed desino nunc, atque ea quoque, quae ad varia scripta Selnecceri, item et ad fata quaedam eius domestica pertinent, ali reseruo occasioni. Vos autem in praesens rogo obtestorque, MAGNIFICE DOMINE RECTOR, VENERANDI PATRES ACADEMIAE, CIVESQUE GENEROSISSIMI NOBILISSIMI QVE, ut crastino die, hora I pomeridiana, exercitationi oratoriae ex ordine huius Academiae instituendae, interesse haud dedignemini. Breui enim oratione *magnas mundi vicissitudines* recitatibit Iuuenis Pereximus et ad tuendas ingenii laudes excitatisimus, DN. IOHANNES OSVALDVS, Eibachio - Noricus. Cui quanto maiori incitamento erit frequens et honorifica praesentia uestra; tanto is acrius studiosiusque elaborabit, ut non solum, DEO bene iuuante, recta progressurus in laudum curriculo, utilem aliquando laudabilemque operam praefest Patriae, ac uenerabilis PARENTIS sui uota atque spes feliciter expleat; sed et ut iuxta mecum, vobis, pro eo, ac par est, omnem cultum, obseruantiam, anoremque constetetur.

In titulo huius Progr. legas: *Norimbergenses quesdam de Inclita Academia Ienensi bene meritos.*

P. P. D. XXIX JAN. A. R. S. c^olo l^o cc XVII,

No 907. 8^v

X 2284906





4.

LECTOREM BENEVOLVM
AD
ORATIONEM
DE
MAGNIS MVNDI VICISSITVDINIBVS
AVDIENDAM
HUMANISSIME INVITAT
ATQVE
HAC PRAEFATI ONE
NORIMBERGENSES QVOSDAM
DE
INCLVTA ACADEMIA IENENSI
bene merito;
RECENSERE INSTITVIT
CHRISTIANVS GOTLIB. SCHVVARZIVS P.P.

LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI,
(N.VI.)